



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Phileremi Palaeologi Monachi De Oratione Dominica Liber

Lardenoy, Martin de

Parisiis, 1673

Pater Noster.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9892

de Oratione Dominica Liber. 3
ac multiplices divinæ sapientiæ
thesauros ibi latentes in publicam
lucem eruant. Norunt quàm verè
hoc dicam, quibus est cum Augu-
stino familiaritas longo usu firmata.
Sed rarum hoc genus: tanti enim
boni consecutio difficilis, nec pau-
corum dierum. Plures invenias
quibus placet Augustini lectio; sed
otium deest, quin & vigor ille ani-
mi constans ac perpetuus, eò adhi-
bendus. His nos præcipuè labora-
mus in hoc opusculo; quod qui-
dem ita contrahit Augustinum
Orationis Dominicæ arcana pro-
mentem, ut illum tamen integrum
erudito cuique ac studioso Lectori
exhibeat.

PATER NOSTER.

^a CUM in omni deprecatione
benevolentia concilianda sit
ejus quem deprecamur, laude il-
lius ad quem oratio dirigitur, solet
benevolentia conciliari: & hoc in
orationis principio poni solet: in

*a Lib. 2.
de serm.
Domini
in monte
c. 4.*

A ij

** Phileremi Palaeologi Monachi*

quo Dominus noster nihil aliud nos
dicere iussit nisi *Pater Noster*.
Matth. 6. 9. ^b Cogitemus, carissimi, cuius filij
^b Serm. 9. esse cæpimus, & sic vivamus quo-
de diver- modo decet eos qui talem habent
sis c. 3. Patrem. Videte quia Creator no-
ster dignatus est esse Pater noster.
Rom. 8. ^c *Quotquot enim spiritu Dei agun-*
14. *tur, hi filij sunt Dei:* non qui se-
c Serm. cundum carnem suam vivunt, non
13. de qui secundum spiritum suum vi-
verb. vunt: non qui carnis voluptate
Apost. c. ducuntur, non qui spiritu suo
10. aguntur; sed *quotquot spiritu Dei*
Rom. 8. *aguntur, hi filij sunt Dei:* non
14. *d litterâ sed spiritu;* non lege præ-
d Ibid. c. cipiente, minante, promittente;
11. sed spiritu exhortante, illuminan-
2. Cor. 3. te, adjuvante. Jam ^e ergo non in
6. timore, sed in dilectione, ut non
e Ibid. c. servi sed filij simus. Qui enim ad-
13. huc idè bene agit quia pœnam
timet, Deum non amat, nondum
est inter filios. Utinam tamen vel
pœnam timeat. Timor servus est,
charitas libera est; & ut sic dicamus,
timor servus est caritatis. Ne possi-

de Oratione Dominica Liber. 5

deat diabolus cor tuum, præcedat servus in corde tuo, & servet dominæ venturæ locum. Fac, fac vel timore pænæ, si nondum potes amore justitiæ. Veniet domina, & servus abscedet, quia consummata caritas foras mittit timorem.

1. Ioan.
4. 18.

^a Hæc est gratia novi testamenti, quod in vetere latuit, nec tamen figuris obumbrantibus prophetari prænuntiarique cessavit. ^b Utatur ergo voce novi testamenti populus novus ad æternam hæreditatem vocatus, & dicat *Pater Noster*.

a Ep. 1.
110. c. 3.

b L. 2. de
serm. Do-
mini in
monte
cap. 5.

^c Quo nomine & caritas excitatur (quid enim carius filiis debet esse quam pater?) Et supplex affectus, cum homines dicunt Deo, *Pater Noster*; & quædam impetrandi præsumptio quæ petituri sumus, cum priusquam aliquid peteremus, tam magnum donum accepimus, ut sinamur dicere, *Pater noster*, Deo. Quid enim jam non det filiis petentibus, cum hoc ipsum antè dederit ut filij essent? Postremò, quanta cura animum tangit, ut qui

c Ibid
sup.

6 *Phileremi Palaologi Monachi*
 dicit , *Pater noster* , tanto patre
 non sit indignus ? Si enim quisquam
 plebeius Senatorem grandioris æta-
 tis ab eo ipso patrem vocare per-
 mittatur , sine dubio trepidabit ,
 nec facilè audebit , cogitans humi-
 litatem generis sui , & opum indi-
 gentiam , & plebeïæ personæ vili-
 tatem. Quanto ergo magis trepi-
 dandum est appellare patrem
 Deum , si tantæ sunt labe , tantæ-
 que sordes in moribus , ut multo
 justius eas à suâ conjunctione Deus
 expellat , quàm ille Senator cujus-
 vis mendici egestatem ? ^a Admo-
 nentur etiam hîc divites vel gene-
 re nobiles secundùm sæculum ,
 eum Christiani facti fuerint , non
 superbire adversus pauperes &
 ignobiles , quoniam simul dicunt
 Deo , *Pater noster* : quod non pos-
 sunt verè ac piè dicere , nisi se fra-
 tres esse cognoscant. ^b Si filij Dei
 facti sumus , & Dij facti sumus :
 Sed hoc gratiæ est adoptantis , non
 naturæ generantis. ^c Aliud est enim
 per patris excellentiam esse unicum

^a *Ibid*
ⁱ *fr.*

^b *In Ps.*
^{49.} *init.*

^c *Lib.*
cont. Se-
cundinum
cap. 5.

de Oratione Dominica Liber. 7
filium Dei; aliud per misericordem
gratiam accipere potestatem filios
Dei fieri credentes in eum. *Dedit*
eis, inquit, *potestatem filios Dei* Ioan. 1.
1. 12.
fieri. Non ergo erant naturâ, cùm
potestatem ut fierent, acceperunt
credendo in ipsum. Cui unico non
pepercit, *sed pro nobis omnibus tra-* Rom. 8.
32.
didit eum, ut apud se unigenitum,
apud nos primogenitum faceret.
Ex illo igitur quod unigenitus est,
non ex carne, non ex sanguine,
non ex voluntate viri, neque ex
voluntate carnis, sed ex Deo natus
est. Ex illo autem quod primoge-
nitus in Ecclesia fratribus factus est,
Verbum caro factum est & habita- Ioan. 1.
13.
vit in nobis. Nos quoque inquan- Eph 2.
2. 3.
tum naturaliter filij iræ fuimus,
hoc est, vindictæ filij, vinculo
mortalitatis obstricti, quamvis illo
creante atque instituyente, qui pro-
culdubio à summis usque ad ima, Sap. 11.
31.
omnia in mensura, & numero, &
pondere disponit & format, tamen
ex carne & sanguine, & ex volun-
tate carnis nati sumus: in quantum

A iiij

§ *Phileremi Palæologi Monachi*

autem accepimus potestatem filios Dei fieri, nec nos ex carne & sanguine, aut ex voluntate viri, aut ex voluntate carnis, sed ex Deo, non quidem coæquante natura,

sed adoptante gratiâ nascimur.^a Eramus enim aliquid antequam essemus filij Dei. ^b Habebamus patrem & matrem in terrâ, ut nasceremur ad labores & mortem.

Invenimus alios parentes, Deum patrem, & matrem Ecclesiam, à quibus nascamur ad vitam æternâ; ^c & accepimus beneficium ut fieremus quod non eramus; sicut qui adoptatur, antequam adoptaretur nondum erat filius ejus à quo adoptatur; jam tamen erat qui adoptaretur. Et ab hac generatione gratiæ discernitur ille filius qui cum esset filius Dei, venit ut fieret filius hominis, donaretque nobis qui eramus filij hominum, filios Dei fieri. Factus est quippe ille quod non erat, sed tamen aliquid aliud erat; & hoc ipsum aliquid, Verbum Dei erat per quod facta

Ioan. 1.
13.

^a Ep. 120.

c. 4.

^b Ser. 9.

de diver.

c. 2.

^c Epist.

120, c. 4.

Ioan. 1. 3.

sunt omnia, & lumen verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & Deus apud Deum. Nos quoque per ejus gratiam facti sumus quod non eramus, id est, filij Dei: sed tamen aliquid eramus, & hoc ipsum aliquid multo inferius, hoc est, filij hominum. Descendit ergo ille ut nos ascenderemus, & manens in naturâ sua, factus est particeps naturæ nostræ, ut nos manentes in naturâ nostrâ efficeremur participes naturæ ipsius: ^a quia *nemo ascendit in celum, nisi qui de celo descendit, filius hominis qui est in celo.*

Ioan. 3.

13.

a Lib. 1.

de pecc.

merit.

cap. 31.

Quamvis enim in terrâ factus sit filius hominis, divinitatem tamen suam quâ in celo manens descendit in terram, non indignam censuit nomine filij hominis, sicut carnem suam dignatus est nomine filij Dei, ne quasi duo Christi accipiantur, unus Deus, & alter homo; sed unus atque idem Deus & ho-

Ioan. 1. 1.

mo: Deus, quia *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud*

10 *Phileremi Palaeologi Monachi*
Deum , & Deus erat Verbum :
Homo , quia Verbum caro factum
est , & habitavit in nobis. Ac per
hoc per distantiam divinitatis &
infirmittatis filius Dei manebat in
cælo , filius hominis ambulabat in
terrâ ; per unitatem verò personæ,
quâ utraque substantia unus Chri-
stus est , & filius Dei ambulabat in
terrâ , & idem ipse filius hominis
manebat in cælo. Fit ergo credi-
bilior fides ex incredibilius
creditur. Si enim divina substantia
longè distantior , atque incompara-
bili diversitate sublimior potuit
propter nos ita suscipere humanam
substantiam , ut una persona fie-
ret , ac sic filius hominis qui erat
in terrâ per carnis infirmitatem ,
idem ipse esset in cælo per partici-
patam carni divinitatem : Quanto
credibilius alij homines sancti &
fideles ejus fiunt cum homine
Christo unus Christus , ut omni-
bus per ejus hanc gratiam societa-
temque ascenduntibus , ipse unus
Christus ascendat in cælum qui de

de Oratione Dominica Liber. II
 cælo descendit ? Sic & Apostolus
 ait : Sicut in uno corpore multa
 membra habemus ; omnia autem
 membra corporis cùm sint multa,
 unum est corpus ; ita & Christus. ^{1. Cor.}
 Non dixit , ita & Christi , id est , ^{12. ver.}
 corpus Christi vel membra Chri- ^{12.}
 sti : sed , ita & Christus , unum
 Christum appellans caput & cor. ^{Ioan. 3.}
 pus. ^{13.} Si nemo ascendit nisi qui
 descendit , ipse autem est filius ho- ^{a Serm.}
 minis , Dominus noster Jesus , vis ^{23. de}
 & tu ascendere ? Membrum ipsius ^{temp. cap.}
 esto , qui solus ascendit : etenim ^{6.}
 ille , caput cum cæteris membris
 unus homo est : & cùm ascendere
 nemo potest , nisi qui in ejus corpo- ^{Ioan. 3.}
 re membrum ipsius factus fuerit , ^{13.}
 impletur , quia *Nemo ascendit nisi*
qui descendit. ^b Ut autem simus ^{b Tract.}
 membra ejus , unitas nos compa- ^{27. in}
 ginat : ut compaginet unitas , quid ^{Ioan.}
 facit nisi charitas ? Et charitas Dei ^{antemed.}
 unde ? Apostolum interroga. Cha- ^{Rom. 5.}
 ritas , inquit , Dei diffusa est in ^{5.}
 cordibus nostris per Spiritum san- ^{Ioan. 6.}
 ctum qui datus est nobis. Ergo ^{64.}

12 *Phileremi Palaologi Monachi*
Spiritus est qui vivificat ; Spiritus
enim facit viva membra ; nec viva
membra spiritus facit , nisi quæ in
corpore quod vegetat ipse spiritus
invenerit. Nam spiritus qui est in
te , ô homo , quo constas ut homo
sis , numquid vivificat membrum
quod separatum invenerit à carne
tuâ ? Spiritum tuum dico animam
tuam. Anima tua non vivificat nisi
membra quæ sunt in carne tuâ.
Unum si tollas , jam non vivifi-
catur ex animâ tuâ , quia unitati
corporis tui non copulatur. Hæc
dicuntur , ut amemus unitatem ,
& timeamus separationem : Nihil
enim sic debet formidare Christia-
nus , quàm separari à corpore
Christi : si enim separatur à corpo-
re Christi , non est membrum ejus :

Rom. 8. 9. *Sinon est membrum ejus , non ve-*
getatur spiritu ejus : Quisquis au-
tem , inquit Apostolus , spiritum
Christi non habet , hic non est ejus.
Intelligite , fratres mei , quid di-
xerim. Homo es , & spiritum ha-
bes , & corpus habes. ^b Dic mihi

a Tract.
26 in
Iouann.
post med.
bil bid.
infr.

de Oratione Dominica Liber. 13
quid ex quo vivat. Spiritus tuus
vivit ex corpore tuo, an corpus
tuum ex spiritu tuo? Respondet
omnis qui vivit; qui autem hoc
non potest respondere, nescio si
vivit. Quid respondet omnis qui
vivit? Corpus utique meum vivit
de spiritu meo. Vis ergo & tu vive-
re de spiritu Christi? In corpore
esto Christi. Nunquid enim corpus
meum vivit de spiritu tuo? Meum
vivit de spiritu meo, & tuum de
tuo. Non potest vivere corpus
Christi nisi de spiritu Christi. Rom. 5.

^{s.}
a Serm. 2.
de divers.
cap. 2.
Certè, quia dixi, *Charitas Dei*
diffusa est in cordibus nostris per
Spiritum sanctum qui datus est no-
bis, ideo est consequens ut quia
Spiritus sanctus Deus est, nec dili-
gere possumus Deum nisi per Spiri-
tum sanctum, amemus Deum de
Deo. ^b Deus igitur Spiritus sanctus
qui procedit ex Deo, cum datus
fuerit homini, accendit eum in di-
lectionem Dei & proximi; & ipse
dilectio est; non enim habet homo
unde Deum diligat, nisi ex Deo. ^b Lib. 15.
de Trin.
c. 17.

*a Ser. 2.
de diver.*

c. 2.

1. Ioan.

4. 16.

Ibid.

b Libr. 15.

de Trin.

cap. 18.

Rom. 5.

5.

c. Ibid.

sup.

Audite apertius ipsum Joannem: *Deus charitas est: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Parum est dicere, Charitas ex Deo est. Quis nostrum auderet dicere, *Deus charitas est?* Dixit qui noverat quod habebat. *Dilectio igitur quæ ex Deo est, & Deus est, propriè spiritus Sanctus est, per quem diffunditur in cordibus nostris Dei charitas, per quam nos tota inhabitat Trinitas.* Quocirca rectissimè Spiritus sanctus, cum sit Deus, vocatur etiam donum Dei: quod donum propriè quid nisi charitas intelligenda est quæ perducit ad Deum? Nullum est isto Dei dono excellentius: Solum est quod dividit inter filios regni æterni, & filios perditionis æternæ. Dantur & alia per Spiritum sanctum munera; sed sine charitate nihil profunt. Nisi ergo tantum impertiatur cuique Spiritus sanctus, ut eum Dei & proximi faciat amatorem, à sinistrâ non transferatur ad dexteram: Nec spiritus pro-

de Oratione Dominica Liber. 15
 priè dicitur donum nisi propter
 dilectionem. ^a Quapropter si san- ^{a Ibid.}
 cta Scriptura proclamat, *Deus cha-* ^{cap. 19.}
ritas est; illa quæ ex Deo est, & in ^{1. Ioan.}
 nobis id agit ut in Deo manea- ^{4. 16.}
 mus & ipse in nobis, & hoc inde
 cognoscimus, quia de spiritu suo
 dedit nobis, IPSE SPIRITUS EIUS
 EST DEUS CHARITAS. Deinde si in
 donis Dei nihil majus est charita-
 te, & nullum est majus donum
 Dei quàm Spiritus sanctus, quid
 consequentius quàm ut ipse sit cha-
 ritas, qui dicitur Deus, & ex
 Deo? ^b Amplius tibi non potuit ^{b Tract.}
 dilectio commendari, quàm ut di- ^{8. in Ep.}
 ceretur Deus. Fortè munus Dei ^{Ioan. fin.}
 contempturus eras: & Deum con-
 temnis? Deus dilectio est: & qui ^{Ibid.}
manet in dilectione, in Deo manet,
& Deus in eo. ^c Interroga viscera ^{c lb. sup.}
 tua: si plena sunt charitate, ha-
 bes spiritum Dei. ^d Quid ergo hu- ^{d Serm.}
 mana imaginatio & volatica cogi- ^{2. de div.}
 tatio fingit sibi Deum, & in corde ^{c. 2.}
 suo fabricat idolum, componens
 qualem potest cogitare, non qua-

c Serm.
17. de
ver. Ap.
cap. 3.

lem meruit invenire ? ^c Invisibili-
bus similis est Deus : & ea in nobis
sunt meliora , quæ sunt invisibilia.

a Serm.
122. dedi.
vers. cap.
9. 10.

b Serm.
13. de ver.
Apost.
cap. 15.

^a Deus charitas est. Inde habemus
aliquid : inde aspersi sumus : inde
irrorati. ^b Qualis res est , si pignus
tale est ? Nec pignus , sed arrha

c Serm.
121. de
divers. c.
10.

dicenda est ; pignus enim quando
ponitur , cum fuerit res ipsa reddi-
ta , pignus aufertur ; arrha autem
de ipsâ re datur quæ danda promit-
titur , ut res quando redditur , im-
pleatur quod datum est , non mu-
tetur. ^c Cujus ros talis est , qualis
est fons ? Rore isto aspersus , sed
flagrans in fontem dic Deo tuo ,
quoniam apud te est fons vitæ.

d Lib. 2
de pecc.
merit.
cap. 8.

In rore isto natum est desiderium :
in fonte satiaberis : ibi est quod
sufficiat nobis. ^d Primitias itaque
spiritûs nunc habemus , unde jam
filij Dei reipsâ facti sumus : in cæ-
teris verò spe sicut salvi , sicut in-
novati , ita & filij Dei : re autem
ipsâ quia nondum salvi , ideo non-
dum plenè innovati , nondum
etiam filij Dei , sed filij sæculi.

Proficimus

Proficimus ergo in renovationem
justamque vitam per quod filij
Dei sumus, & per hoc peccare
omnino non possumus, donec to-
tum in hoc transmutetur, etiam
illud per quod adhuc filij sæculi
sumus; per hoc enim & peccare
adhuc possumus. Ita fit ut *qui na-* 1. Ioan.
tus est ex Deo, non peccet; & si 1. 8.
dixerimus quia peccatum non ha-
bemus, nos ipsos seducimus, & ve-
ritas in nobis non est. Consumetur
ergo quod filij carnis & sæculi su-
mus: & perficietur quod filij Dei,
& spiritu renovati sumus. Unde
idem Joannes; *Dilectissimi, inquit,* 1. Ioan.
nunc filij Dei sumus, & nondum 3. 2.
apparuit quid erimus. Quid est
hoc, sumus & erimus, nisi quia
sumus in spe, erimus in re? Nam
sequitur & dicit: *Scimus quia,* Ibid.
cum apparuerit, similes ei erimus,
quoniam videbimus eum sicuti est.
Nunc ergo & ei similes esse jam
capimus, primitias habentes spi-
ritus; & adhuc dissimiles sumus
per reliquias vetustatis. Proinde,

B

18 *Phileremi Palaologi Monachi*
inquantum similes, in tantum re-
generante spiritu filij Dei: inquan-
tum autem dissimiles, in tantum
filij carnis & sæculi. Illinc ergo
peccare non possumus: Hinc verò,
si dixerimus quia peccatum non
habemus, nos ipsos decipimus,
donec totum transeat in adoptio-
nem, & non sit peccator, & quæ-
ras locum ejus, & non invenias.

QUIES IN CÆLIS.

^a Lib. 2.
^d e serm.
Domini
in monte
cap. 5.
^b Epist.
37. ante
med.

^a **I**D est, in sanctis & justis: non
enim spatium locorum contine-
tur Deus, ^b ita ut in dimidio mun-
di corpore sit dimidius, & in alio
dimidio dimidius, atque ita per
totum totus... Ita Pater, ita Fi-
lius, ita Spiritus sanctus, ita Tri-
nitas unus Deus. Neque enim
mundum inter se in tres partes
diviserunt, quas singulas singuli
implerent, quasi non haberet ubi
esset Filius aut Spiritus sanctus in
mundo, si totum occupasset Pater.
^c Non ita se habet vera incorporea,
immutabilisque divinitas. ^c Cogi-

^c Serm.
4. Paris.
cap. 11.
tom. 10.